



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 22. Friderici Gonzagæ Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

ab omni ambitione alieni summa tranquillitas floreret: attamen pia Borromæi consilia evertentur a Florentinis, quorum princeps erat Sfortia, unde Sirletto suffragia ad ipsius electionem necessaria deerant.

Sæc XVI.
A. C. 1565.

§. XXI.

Cardinalis Alexandrinus Borromæi opera in Papam electus.

Tandem post varia consilia tum tentata, tum everfa Alexandrinus Cardinalis Anno sequenti millesimo quingentesimo sexagesimo sexto die septima Januarii in summum Pontificem electus est, assumpsitque Pii V. nomen.

Ciac. p. 989.
E 996.

§. XXII.

Friderici Gonzagæ Cardinalis obitus.

Priusquam novus hic Papa eligebatur, imo jamjam ante Pii IV. Prædecessoris ejus obitum, sacrum Collegium hoc anno currente septem Purpuratorum jacturam deflebat, quos inter primus erat Fridericus Gonzaga Friderici I. Mantuæ Ducis, & Margaritæ Paleologæ Montferratensis Filius. Natus is erat Anno Christi millesimo quingentesimo quadagesimo post Patris sui mortem, quapropter

Ciacon. t. 3.
p. 943.
Victorel.
add. ad
Ciac.

Hist. Eccles. Tom. XLVII. D d ab

Sæcul. XVI. ab Hercule Gonzaga Cardinale Mantuano Patruo suo paterna vere sollicitudine educatus, studiorum caussa Bononiam mittebatur, ubi summa sua diligentia, ac virtutum laude ceteris eminebat: sacris autem postea Ordinibus initiatus a Pio IV. Papa in Cardinalis Mantuani favorem Purpuratorum Collegio circa Annum Domini millesimum quingentesimum tertium obtento sacristæ Mariæ ad Nives titulo adscriptus est, quamvis tum nondum vigesimum quartum ætatis suæ annum attigisset: mortuo etiam suo Patruo Mantuæ in patria sua Episcopus renuntiabatur, hujusque Ecclesiæ possessionem die prima Maji eodem anno accipiebat, sui Prædecessoris vestigia pressio pede insecutus: porro postmodum Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Romam delatus ibidem rubrum Galerum accepit, Montferratensique Legatione auctus fuit: cum vero paululum ultra vigesimum quintum ætatis suæ annum vixisset, obiit Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto die vigesima prima Februarii lenta tabe consumptus, sepultusque est Mantuæ in Ecclesia Cathedrali.